

conscriptit Orationem de *Gloriosa Heroum in Bello Turcico*
pereuntium Morte, Serenissimorum Principum, DN. FRI-
DERICI AVGVSTI & DN. CAROLI PHILIPPI,
Ducum Brunsvicensium & Lunaburgensium, aeterna memo-
rie consecratam; eandemq; circa crastini nonam antemeridianam
publice ac sollenniter, &, ut actio sit liberior, è memoria recitare
conabitur. Adeste, quæso,

MAGNIFICE DN. RECTOR,
GENEROSE AC STRENUSSIME OPPIDI HUIVS
PRAEFECTE,
PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI
CELEBERRIMI,
TVQVE GENERIS AC DOCTRINAE SPLENDORE
CLARISSIMA STUDIOSORVM CONCIO,

& benevolè attendite Declamationem hanc, in qua Pietas & Fa-
cundia certabunt invicem, utraq; futura victrix. Lacedamonii
olim, anteqvam exercitum in hostes educerent, Musis sacrificabant,
easq; armatas colebant; ut, qui pro patria in bello oppeterent, sci-
rent memoriam sui, beneficio literarum, aeternam fore. Aequum
proinde ac justum est, ut Musæ nostræ, quarum otium & tranqvilli-
tas, hac ipsa tempestate, fortissimis Serenissimorum Heroum mani-
bus, sanguine, spiritu conservatur, mutuam operam gratamq; re-
pendant vicem, totq; belli hujus decora ac miracula, literarum præ-
conio ab oblivione atq; interitu vindicent, nec tam libationibus atq;
inferiis, quam epiniciis, mixtisq; mœrore gratulationibus, eorun-
dem sideribus transcriptorum *ἁποψῆων* celebrent. Servet Rex Regum
Serenissimam Ducum Brunsvicensium & Lunæburgensium Do-
minum, Ejusq; nomen gloriosissimum, & Leoninæ Fortitudinis aliã-
rumq; splendidissimarum virtutum imagines, Celsissimis in Hære-
dibus ferisq; nepotibus, ad ipsum deficientis mundi terminum pro-
ducat! Concedat ERNESTO AVGVSTO, Principi In-
comparabili, uti ex amissis Principibus Filiis gloriosa solatia, ita ex su-
perstitibus inestimabilia gaudia, eaq; extra omne mœroris confinium
perennatura! Dent quoq; Superi *Meibomius*, jam ultra seculum de-
votissimis Potentissimæ DOMVS Illius veneratoribus, ætatem quam
merentur, serventq; animum, quem dederunt: speciatim vero Ora-
torem nostrum in seculi decus efflorescentem constantia virtutis ac
bonæ mentis roborent, omniq; rerum gerendarum cumulent pro-
speritate! P. P. Altdorff Nor. VII. Id. Mart. A. O. R. CIO IDC XCI.



MAGNITUDO
DOMUS GVELPHICÆ,
TANQVAM GENUINUM
FUNDAMENTUM

SUMMÆ
NOVI ELECTORATUS
HANOVERANI
DIGNITATIS,
UNANIMIBUS LÆTISSIMISQVE S. R. I.
STATUUM VOTIS PROBATÆ,

IN SOLENNI
PROMOTIONE JURIDICA

ALTDORFFI NORICORUM A. C. MDCC VII. III. CAL. JUL.
BREVI ORATIONE DELINEABATUR

AB
ADAMO BALTHASARE WERNERO,
PHILOS. ET J. U. D.
SERENISSIMO DUCI SAXO-QUERFURT.
A CONSILIIS,
IN ACADEMIA ALTDORFFINA PROFESS. PANDECT.
PUBL. ORD. AC FACULTATIS JURIDICÆ EO TEMPORE
DECANO.

LIPSIÆ,
TYPIS IMMANUELIS TITII.

MAGNITUDO
 DOMUS GVELPHICÆ
 TANQVAM GENIVM
 FUNDAMENTUM
 NOVILECTORIVS
 HAVOVERIANI
 UNANIMIS LASSIMVS S.R.I.
 IN SOLENN
 PROMOTIONE JURIDICA
 AD MOBILITATE WERNERO
 SERENISSIMO DUCI SASSO-CARVUR
 IN ACADEMIA ET DORINA MORS BANDER
 HELL ORB AC INCHIAIT JESIDE EIO TENORE
 G E C A N O
 L I N G V A
 T O N A R V M S I I T I I I



367635



IN RECTO DECUS sincere quærit
 constanterq; SERENISSIMA DO-
 MUS BRUNSVICO-LYNÆBUR-
 GENSIS. An ergo inscii stupea-
 mus, quod molimina Virtutum non
 quotidiana, pulcherrimum etiam Ho-
 noris decus, individuus sequatur Co-
 mes? Sana olim docuit Antiquitas, Virtutis præstantiam
 sibi ipsi illustrem honorem præmiumque esse largissi-
 mum. Sola bona, quæ honesta, Nummi quidam ER-
 NESTI AUGUSTI referentes Imaginem non erroneo
 prædicant effato. Nec aliam adeo Decoris bonitatem,
 quam in recto honestoque reperiundam Celsissima Gvel-
 phorum Domus Sapientibus concipit Mentibus, studiis-

que sectatur indefessis. Inprimis hoc in recto decus Serenissimus atque Potentissimus Elector ac Dominus, Dominus GEORGIUS LUDOVICUS, non minus heroico repositum servat Pectore, quam nummis suis artificiosa, inculpi curat manu. Decet scilicet Symbolum istud prænobile Principem tantum, quem unum Natura favens propriaque Industria omnibus Majorum plurimorum cumulavit Virtutibus. GEORGIUS LUDOVICUS, inquam, Gvelfhos priorum temporum tam miranda Virtutum Excellentia longo post se relinquit intervallo, ut justum omnino rectumque fuerit, eximia etiam honoris magnitudine hos ab Illo vinci.

Non difficili forte Conjectura assequimini, Domini & Auditores, quo hæc mea tendat Oratio. Suprema enim Electoratus Dignitate in S. R. Imperio, æquissime, jam præfulget GEORGIUS LUDOVICUS, tam meritum maxime conspicuorum jure, quam concordibus Statuum Imperii Votis tutus. Consilio Industriæque Augustissimi LEOPOLDI adscribendum, quod Reverendissimo, Serenissimo Potentissimoque ERNESTO AUGUSTO pluribus abhinc annis (a) clementissime concreditum sit excelsum Electoratus munus; quod tamen jam demum quiete tenet Filius ipsius charissimus, GEORGIUS LUDOVICUS, postquam illi secundum successum certatim gratulati fuere universi ac singuli Imperii Ordines (b), potentissimo Augustissimi JOSEPHI (c) amore incensi, utpote cui facili non assentiri obsequio fidelissimi Imperii Cives pie timere. Hac igitur ratione ardui Negotii, quod à LEOPOLDO ERNESTOQUE AUGUSTO primam repetit Originem, exitus

(a) Nempe Anno 1692.

(b) Tum extra Imperii Comitibus, tum in Comitibus Imperii id factum, vid. *Protocoll. Senatus Principum in presentibus Comitibus conscript. de d. 6. d. 8. d. 11. April. Ann. 1707.*

(c) vid. *Decretum Commissionis Cesarea in Comitibus Imperii exaratum & dictatum die 21. Jul. Ann. 1706.*

tus fortunatissimus in memorabilia JOSEPHI GEORGIIque LUDOVICI tempora dirigente Numine dilatus; nam utrique etiam Patri uterque Filius inclytam Virtutis Palmam omninò dubiam reddidit. Tandem bona ac recta Causa JOSEPHO GEORGIOque LUDOVICO fasces tenentibus decorum agit Triumphum.

Ego inter hæc effusa Imperii Romano-Germanici studia hocce Electorale GEORGII LUDOVICI Cacumen brevi venerari sermone, nec à præsentis Panegyris splendore, nec à devotissimo Civium subditorumque Imperii officio alienum esse firmiter statuo. Dicam scilicet ea, quibus omnia ingente sonant plausu. Loquar, ut minus diserta Lingua, HAUD VULGAREM MAGNITUDINEM GVELPHICÆ DOMUS, TANQVAM STABILE ELECTORATUS HANOVERANI FUNDAMENTUM, QVEM LÆTABUNDI S. R. I. STATUS UNANIMIBUS JAM SUSPICIUNT SUFFRAGIIS. (d) Vos, Domini & Auditores, benevolas, spero, commodabitis Aures argumentum prægrande tractaturo, hocque ut hilari faciat promptitudine, tum pura vestra, qua Imperio Romano-Germanico obstricti estis, fides, tum Domus Brunsvico-Lynæburgensis, præsertim verò Potentissimi Electoris hodierni, plurima in Patriam Merita, gravissime vos hortantur.

Antiquissima, eaque regalis, Prosapia optime, congruit Regiis Gentis Brunsvico-Lynæburgensis Virtutibus, quæ continua seculorum serie altis radicibus firmatæ. Testimonii Integritate Genealogiam non effictam jam olim agnovere plures Germaniæ

B Prin-

(d) vid. *dict. Protocoll. Senatus Principum Imperii de d. 8. & d. 11. April. Ann. 1707.*

Principum, qui, exaratis ad Innocentium, Præsulum Romanorum Tertium, literis, Ottonem IV. Romanorum Imperatorem, utpote aureæ Stirpis Guelphicæ aureum Ramum, longa ac antiqua Regum Prosapia ortum ingenue retulere. (e) Primorum Saxoniae Bavarique Ducum, Billingiorum, antiquiorum Guelphorum Altorfensium, Principumque Atestinorum Cognationes Affinitatesque lectissimas, Historicorum scrutandas relinquo Filiis. (f) De eo saltem vario non fluctuandum æstu, quod Majores Ducum Brunsvico-Lynæburgensium Majestate veneranda præteritis jam superbierint Seculis. (g) Ex iis haud du-

(e) vid. Literas istas in Baron. *Annal. Eccles. & ex eo in Meibom. Apologia pro Ottonne IV.* quæ extat *Tom. III. Rer. Germ. pag. 119.* Conf. Stemma Gentilitium Ottonis IV. *ibid. p. 163.* add. Meibom. *Comment. Histor. de Serenissima Domus Brunsvico-Lynæburg. Affinitatibus Augustis*, quæ in memoriam Augusti Conjugii JOSEPHI & WILHELMINÆ AMALIÆ conscripta, §. de ipsorum.

(f) Vid. Meibom. *Vindic. Billing. d. Tom. III. Rerum Germ. p. 34.* it. Schemata Genealogica comparentia in *eodem Tom. III. in primis p. 163.* (ubi, ceu modo notatum, Stemma Gentilitium Ottonis IV. exhibetur,) & *pag. 166.* ubi Stemma Henrici Leonis se sistit; add. Stemma Genealogicum, quod *Tom. I. p. 729. in Notis ad Panegyricum Ottonis M. à Roswittha scriptum*, reperitur. Breviter de Origine Serenissimæ nostræ Domus agunt Lampad. *de Republ. Rom. Germ. p. 3. c. 5. §. 19.* ibique Conringius, accuratius vero Dn. Leibnit. in *Introductione ad Scriptores Histor. Brunsvicens. inservientes*, (quos nuper edidit,) §. *Sed cum nostri, seqq.* Add. quæ isthoc in *Opere Leibnitiano de Guelphis* habentur, in primis Arborem Genealogicam *num. 57.* reperiendam, & quæ ad istum numerum in *Introductione* proferuntur. Ad Genealogiam etiam facit *Dittmarus restitutus* à Dn. Leibnitio in *codem opere*. Insuper, præter Genealogicos Scriptores, v. gr. Rittershusium, & præter Chytræum *Chron. Saxon. libr. 2. p. m. 57. seqq.* (ubi etiam Genealogia quædam exhibetur) allegandus Johannes Baptista Pigna, qui de Principibus Atestinis Historiarum Libros 8. edidit, eosque à Triburtio sive Drusfeldæ in Germanicam conversos. Nec non huc spectat *der Historische der alten Teutschen Sächsischen Könige und Fürsten / und daraus entsprossene Fürstl. Braunschweig. Lüneb. Stamm-Baum / und desselben Baums Erklärung.* Idem argumentum genealogicum fere ex professo tractat Hildebrand. in *Augustis Casaris Octaviani Augusti & Augusti Ducis Brunsvicensis ac Lynæburgensis c. 1.* Conjugiorum cum Carolinis quoque, licet dubitans, meminit Meibom. *dict. Commentat. histor. de Affinit. August. & c. §. de ipsorum quidem*; add. Lampad. *de Republ. Rom. Germ. p. 3. c. 5. §. 19.*

(g) De Ducum horum antiqua Claritate, citante Gastélio de *Stat. Publ. Europ. c. 19. n. 71.* agunt Chytræus *d. Chron. Sax. L. 2. p. 57. seqq.* Limæus, Burgold., Fran-

dubiam trahentes Originem Imperatores, Henricos, Ottones, Lotharios, imo Fridericum, quem Imperatorem electum Imperii habenas tractare repentinæ Cædis impediit Injuria, submissus olim adoravit Orbis, memor jam admiratur Posteritas. (h) Azones, Henricos animo Leones, Wilhelmos, Albertos, Ottones Duces, Ernestos, non redimitos quidem Diademate, indole tamen Regia fuisse distinctos, veraces perhibent Annales. (i) Elogiis Romanorum mentiri nesciis (hostili enim Affectu erga Germanos illi ferebantur,) decantata quidem sunt famosissima Ar-

B 2 mi-

cisc. Irenic. *ad Burgoldens. add. Lampad. & Conring. d. l. Henr. Bunting. Chron. Brunsvic.* In primis vero consulendæ Maderi *Antiquitates Brunsvicenses*, sive, (quomodo sub alio Titulo prodiit Liber,) *Vetustas, Sanctimonia, Potentia atque Majestas Domus Brunsvic. ac Lynæburg.* ubi continentur Chronica, Imperatorum Vitæ ac Gestæ &c. Ex Meibomii *Rebus German. ac opusculis* quædam etiam huc spectant. Graviter pronunciat Conring. *d. l.* inter omnes Principalis Ordinis Familias, hanc nostram Ducali Dignitate, quæ olim habita sit primaria, omnium diutissime, & quidem ab anno usque 1071. eminuisse, ac proinde summo Jure saltem post Electorales primum obtinere Locum, idque citra omnem Controversiam. Ipsam Historiam Erektionis Ducatus Brunsvicens. cum Cæsareis Tabulis exhibet Meibom. *d. Tom. III. Rer. Germ. p. 203.*

(h) Vid. conscriptas ab Engelshusio, à Craws, à Monacho quodam Hamerslebeni Vitas aut res præclare gestas Imperatorum ex Celsissima hacce Domo oriundorum, itemque Chronicon Auctoris Anonymi, &c. qui tractatus reperiuntur apud Mader. *d. l.* Jung. *den Historischen Stamm-Baum der alten Teutschen Sächsischen Könige &c. und dessen kurze Erklärung; & Hildebrand. in Augustis c. 1.* præsertim §. *aliorum sententia*, §. *Porro Henricus Auceps, seqq.* Omnino vero addenda Adelboldi *Vita Henrici Sancti Imperatoris*, quam doctus Orbis debet Dn. Leibnitio, eaque *Scriptoribus Histor. Brunsvic. n. 30.* inserta, præmissis ipsi in *Introductione*, unâ cum aliis huc spectantibus, Schemate Genealogico. Pariter legi meretur Meibom. *Apolog. pro Ottonne IV. Imperatore*, quæ extat apud Meibom. *d. Tom. III. Rer. Germ. Conf. Meibom. dict. Commentat. Histor. de Affinitatibus Augustis & c. §. Sed jam ad secundum*, ubi & *d. §. de ipsorum quidem*, post alios commemoratur, Lotharii Filiam duxisse Henricum Superbum. De Friderici Ducis Brunsvicensis & Lynæburgensis in Imperatorem Electione & misera Cæde integram Dissertationem *Tom. III. Rerum German. pag. 420.* exhibet Meibom. Add. Lampad. *de Republ. Rom. German. d. p. 3. c. 5. §. 19.*

(i) Vid. Chytræi *Chron. d. l. p. m. 57. seqq.* nec non Auctores reliquos modo allegatos, in primis *die kurze Erklärung des Historischen Stamm-Baums der alten Teutschen Säch. Könige und Fürsten* &c. item Hildebrand. in *Augustis c. 1.*

minii Gesta: (k) Sed bellicosum tamen hunc Ducem Cheruscorum, [qui populus agros Brunsvico-Lynæburgenses quondam colebat, (l)] assurgere ad supereminentem Veterum Gvelforum Celebritatem nego pernegoque. Quid? quod ex illis Henricus Magnanimus Henricusque Leo Bavariæ Saxoniæque Ducatus sub potente tenuerint ditio, (m) duplicique adeo Imperatorem eligendi Jure multum prævaluerunt. Tam proluxi igitur temporis mora, famigeratissimos Gvelfos cur non majus jam exornet Decus? nam & diuturni ævi lapsu vivida eorum Virtus solidissimas acquisivit Vires. Electoralia insignia merito capeſiunt, è quorum Majoribus fuere, qui Augustum Imperii Romano-Germanici solum gestis decoraverunt laudum plenissimis. Potentissimo Electorum Collegio recte denuo sociatur illa Domus, quæ in laudatissimis Henricis dictos duos Bavariæ Saxoniæque Ducatus cum duobus Cæsares creandi suffragiis legitimo regebat Imperio. Illos Principes inter præcipua Imperii Membra referri non parum refert, quorum præstabilioribus factis tot scripta antiqua inter præcipuas res memorandas, quas unquam mor-

tali-

passim. De Henrico Leone etiam inter alios consulendus Schurtzſleich. *Dissertatione de eodem edita.*

(k) Vid. Victoriæ Harminii, uti ab ipsis hostibus, Tacito, Floro, Strabone, Vellejo, Plinio, Svetonio, Dione Cassio, Seneca, Zonara, Oroſio, Manlio, descripta, expositam à Dn. Wasserbach, in *Appendice Dissertationis de Statua Illustri Harminii, vulgo Hiernensul*; add. ipsum hunc *Tractatum passim*, in primis c. 2. c. 4. c. 20.

(l) Vid. omnino excerpta veterum Scriptorum in Dn. Leibnit. *Scriptor. Rer. Brunſv.* Num. 1. & præsertim, quæ de Cheruscis ibidem Occasione Taciti afferuntur pag. 12. lit. p.

(m) Henricus, qui Magnanimus amicis, hostibus Superbus audit, Henricusque Leo habuere plurimas Provincias. De illo Otto Frisingensis *Chron. Libr. 7. c. 23. Ejus, inquit, Auctoritas à Mare ad Mare i. e. à Dania usque ad Siciliam extendebatur*; add. Meibom. *diſt. Comment. Histor. de Affinitatibus Augustis & c. §. de ipsorum quidem, & §. sed jam ad Henricum*, itemque Lampad. de *Republ. Rom. Germ. d. p. 3. c. 5. §. 19.* & ibi Conring. nec non Hildebrand. in *Augustis c. 1. §. Superbum Henricus Leo.*

talium perfecit Sedulitas, citra omnem blandæ Adulationis suspicionem, locum concedunt.

Nec exspiravit hæcenus vetustus Gvelficæ Gloriæ Vigor. Equus Brunsvico-Lynæburgensis concito ferri Cursu nondum cessavit. Angusti Temporis respectus prætermittere me cogit plura illa memorabilia, quibus magnum Gvelforum Nomen propioribus ævo præſenti Seculis commendatur. Sive enim superbæ domandæ Rebelliones, sive maligni Imperiorum turbatores contundendi, sive Barbarorum, præsertim Sarracenorum ac Turcarum, (n) crudelis frangendus furor fuit; semper etiam ex isthoc Deorum Gvelficorum sanguine Heroës armis acerrimi extiterunt. Leviter tantummodo allegare jam liceat aliqua novissima. GEORGIUS, magnus ille Heros, felicissimusque Augustissimæ Imperatricis Avus, Reginæ vero Daniæ Pater, fatalibus Germanici belli Turbis se ne utquam avelli passus est ab obsequiosa reverentia, quæ Invictissimo Cæsari; à tenero Amore, qui Patriæ afflictæ; à sanctis promissis, quorum Impletio Amicis foederatis debebatur. (o) ERNESTI AUGUSTI maxima merita longævam æquant Vitam. Arma ejus virique effecere, ut optata Westphalicæ Pacis sancita (p) de opulenta Episcopatus Osnabrugensis accessione Principi extolli pro merito jam prospexerint. Etiam recentioribus in bellis, quibus tum Germanicum Gallis & Turcis acriter contenderunt, tum aliæ quoque concurrerunt Nationes, terrificæ Copiæ Brunsvico-Lynæburgenses, præcipue Hanoveranæ, tantum non omnium celebrandorum facinorum participes se reddiderunt. Ut hîc loci Serenissimæ Gvelferbytanæ Domus maxima merita religioso colam silentio, Hanoveranorumq; gestorum

C la-

(n) Vid. Henr. Meibom. *Narrat. de Expeditionibus Ducum Brunſv. ac Lynæburg. adversus Sarracenos.* & c.

(o) Vid. Meibom. *d. Comment. histor. de Affinitatibus Augustis & c. §. Seculo XVI.*

(p) Vid. *Instrumentum istius Pacis Art. 13.*

latissimum tantummodo tangam campum; utique
Gloriæ perenni vivunt FRIDERICUS AUGUSTUS
& CAROLUS PHILIPPUS, iiq; paternarum Virtu-
tum æmuli filii ERNESTI AUGUSTI, qui in ultimo
Turcico bello funere extincti moestissimo. Horum
Frater, MAXIMILIANUS WILHELMUS, Venetis
militans, in Achaja subacta Peloponneso non conte-
mnenda sagacitatis fortitudinisq; reliquit monumenta.
Idem Imperatoria Castra sequens ancipitibus periculo-
rum bellicorum Casibus tum antehac se exposuit,
tum etiamnum se exponit, iteratisque infracti ro-
boris experimentis Cæsareum animum adhuc te-
net. Ipsius Electoris GEORGII LUDO-
VICI animosus Genius bellis ita assuetus, ut nume-
rosis Turmis præfici Imperator mereatur. Ille in duo-
bus Bellis Gallicis magnifica mentis herculeæ edidit
specimina; imo plus quam decem millium Exercitum
eodem Bello Turcico flagrante in Hungariam eduxit,
mox, Scythica rabie repressa, victricia latissime circum-
tulit Arma, Neuheuselique munitam expugnavit Ur-
bem. Nuperi quoque Triumphus multum debent ve-
geto militum Gvelficorum, præsertim Hanoverano-
rum, Valori, ipsoque fervente CHRISTIANI Sangvine
profundus Danubii fluvijs non sine amaro Germano-
rum questu tinctus. Et jam confugere ad præsentia
Hanoveranorum agminum auxilia, oculatæque GE-
ORGII LUDOVICI experientiaæ supremum Exerci-
tus Imperii moderamen credere, dum Gallorum, uti-
nam! ultimi Conatus res nostras iterum reddere arctas,
mitissimum præbet Solatium hisce præcipue oris.
Adeo evidens, publica neque casu concuti iniquo, ne-
que concussa in compositum redigi Ordinem, nisi mul-
tam fortunæ & discriminum partem sustineant Princi-
pes Brunsvicenses & Lynæburgenses. O ergo poten-
tissimos Armis Gvelfos! Armis, inquam, primario
pro

pro continua salute & Augustissimi Capitis, & Corpo-
ris Imperii Romano-Germanici ab inimica lacesciti pro-
tervia, sumtis. O generosissimos Heroës! quales ne
Romani quidem nimio sui Amore capti aluere, cum fer-
ro accincti Hanoverani, non sibi, sed publico Germaniæ
bono, unice prodesse laborent. Quostam rara armat
Virtus, annon Caput inter Imperii Proceres recte effe-
rent? Gloriam Electoralis Dignitatis merito jam parit
Gloria, ab Hanoverana Domo inter bellicos tumultus
molesto sudore parta. Inter primarias Imperii Colu-
mnas jure surgunt, qui se valentissima Fulcra nutant
Germaniæ bellicis suis subsidiis quam sæpissime præsti-
terunt. Maturo Consilio creantur Electores, quibus
hic Honor assentientibus Europæ suffragiis deferendus:
namque juxta fidelissimum Civium amorem etiam non
fugacem apud externos observantiam non potest non
gignere tremenda armorum potentia.

Verum enim vero collectis insuper opibus beata po-
tensque est Gvelfica Domus. Egens æris Princeps
vix ac ne vix quidem idoneus ad actiones suscipiendas,
quæ famam invidiosam alto æquant Olympo. Nec
Principes Brunsvico-Lynæburgenses iis, quas dixi,
Laudibus macandi forent, nisi insignibus abundarent
divitiis. Nervus Rerum publicarum robustissimus
habetur Nummorum Copia. Divitias subtilis Archi-
medis dixeris punctum, quod ubi mansuro semel firma-
tum fuit fundamento, Respublica facile sufficit imma-
ni Orbis Ponderi movendo. Quid? quod Moneta
Brunsvicensis & Lynæburgensis, si qua alia, coruscante
argenti puritate emicet. Isti quidem nummi ingenio-
sissimis decorati symbolis; omnes tamen hoc Lem-
mate ornari digni: Et recreant & profunt. Nempe
tum visus sensum reficit gratissimus metalli nitor, tum
necessario Commerciorum usui, tam in universa Ger-
ma-

mania, quam in patria præsertim Terra, incredibili est adjumento. Ipsa Naturæ Benignitas hoc metallorum beneficio Tellurem Brunsvicensem ac Lynæburgensem plane materno replevit affectu; (q) forte, ut ejus Incolis pretiosa essent bona, unde bono publico abunde subvenire queant.

Sed ne flebilibus quidem Civium querelis congestas divitias possident Gvelfhici Principes. Cominus & eminus maxime conspicienda sunt instituta, œconomica tum aliorum Gvelfhorum, tum præcipue Electoris GEORGII LUDOVICI; hæcque non lubricum fundamentum Opulentia Hanoveranæ inter alia suggerunt. Non flocci pendendæ ejusmodi Curæ œconomicae. Cujus enim humeri domesticis caute ordinandis impares, is nec pollebit Ingenio, quod publico Imperiorum Statui opportunæ esse queat Utilitati. Aula profecto Hanoverana præsentis venturæque Ætatis moribus, imitabili exemplo, imo regulæ esse valet exactæ, quomodo non langventi munificentia parsimoniam non sordidam copulare, sit integrum.

Quæ ita non male parta, eanec male dilabi patitur Gazophylacium Hanoveranum. Constat veteres Gvelfhos tantum non Sanctorum Indicibus inscribendos esse, quia Ecclesias & Cœnobia plurima vel religioso erexerunt fundaruntque Zelo, vel optima Intentione proventibus auxere copiosis. (r) Non minores eorum Posteris, quoslibet de qualibet boni publici parte salutariter merentes fovent, remunerantur, provehunt. Præsertim promptissima GEORGII LU-

(q) Conf. Henr. Meibomii *Dissertat. de Metallifodinarum Hartzicar. Orig. & Progress.*
(r) Vid. varia antiquorum huc spectantia scripta, quæ collegit Maderus in suo *de Vestitate, Sanctimonia &c. Ducum Brunsvicensium & Lynæburgensium Libro*. Plura etiam huc pertinent, quæ occurrunt in Meibom. *opuscul. & reb. Germ.* nec non in Dn. Leibnitii *Scriptor. rer. Brunsvic.*

LUDOVICI manus & indigenarum & exterorum, merita extantia lautis pensare amat muneribus; neque tantum in Viros negotiis publicis adhibitos, sed etiam in alios illa sat frequenter distributa novimus. Non enim fugit Electorem perspicacissimum, ab ipsa Salute Civitatum publica justam Principum requiri liberalitatem. Hanc si morosa tollas tenacitate, nec dulcis præmiorum consequendorum spes Civibus calcar admovebit ad utiliora Reipublicæ læto expedienda Conatu. Præterea Principibus, utpote genuinum mansuetissimi Creatoris Exemplar futuris, omnino convenit, munificam ipsius naturam studiosa imitari solertia; Ille autem nunquam non amplissimis afficit beneficiis longo patentem ambitu terrarum Orbem.

Porro Gvelfhi saluberrimorum Consiliorum opere succurrunt Germanicis. Iis curæ cordique semper fuit, duraturam Patriæ Prosperitatem tum Consilio, tum Industria promovere, nec adeo ultimo exequi loco, quæ albis Capitis Membrorumque Imperii Calculis fuere probata. Ipsa Saxonia, diris hætenus afflictissima malis, repentino exultabat Gaudio, cum ejus Fata totius Imperii nomine juxta alios emendanda committerentur circumspectæ GEORGII LUDOVICI Prudentiæ. (s) Non tantum enim regium Electoris pectus cœlesti imbutum Sapia, sed instrumentis etiam utitur aptissimis, Comitibus de Platen, Bernstorffis, Göritzis, Elziis, Obergiis, Grootiis, Limbachiis, aliisque: quæ ingentia seculi miracula nominibus recensere suis, Elogiorum cumulis præstat.

Nec alia, quam probatissima Consilia, expectanda

D

da

(s) Vid. *Conventus Imperii Conclusum pro memoria conscriptum d. 10. Septembr. & dis-
Etatum d. 13. Septembr. Ann. 1706. ejusque Conclusi inbas. Conf. Conclus. de d.
28. Maj. Ann. 1704.*

da ab alma literarum Nutrice, Tellure Brunsvico-Lynæburgensi. Et Marte & Arte potentes Gvelphi, ex utroque Cæsares æmulantur. Crassæ ignorantiae macula funestum nonnunquam causata est præjudicium amœno Rerumpublicarum Flori. Contra literæ excultæ tum Imperiis comtum conciliant Decus, tum eadem non minus, ac ferrum, fortiter protegunt ampliantque. Utique quovis scientiarum genere nobilitatæ Ditiones Brunsvicenses ac Lynæburgenses: Ast in iis tamen potissimum historica Rerum Germanicarum Rudera é profundis protracta tenebris. Hæc enim Regionum illarum Studia ingrata non tradenda oblivioni, cum inde Germania omnis uberrimos colligat fructus. Sepulchralem Conringiorum, Meibomiorum aliorumque quietem laudibus turbare vereor intempestivis. Hæc Eruditionis vastissimæ monstra fama superstes accurateque concinnata scripta mori unquam vetant: namque tam omnem status hodierni, quo Imperium notabile est, faciem, quam veram Jurium Imperii publicorum sententiam, & hæc inter etiam Res Brunsvico-Lynæburgenses, doctissimo illustrarunt Calamo. Saltem ignavo non prætereundum Silentio radians illud Aulæ Hanoveranæ & eruditæ in ea Nobilitatis Iubar, Leibnitius, qui attentos Magnatum Eruditorumque oculos etiamnum (ac utinam quam diutissime id fieri tardantia permittant fata!) in se convertit. Hic, si quis alius, luculentissimo comprobat exemplo, quanto ornamento quamque exuperanti emolumento spatiosis Germanicarum Provinciarum tractibus non esse non possint, qui interiore literarum rerumque præcipue patriarum cognitione leve Eruditorum vulgus sunt supergressi. (t) A veri quidem non dissi-

(t) Inter alia plura Ille maxime meritis fuit nuperrime editis Scriptoribus Historiæ Brunsvicensi inseruientibus, introductioneque ad eam Collectionem eruditissimam præmissa.

diffidet fide, quod laudabilia facta curtæ hominum memoriæ brevi eximantur, & ita quasi cito pereant Morte, nisi propitia eorum opera, qui acta scriptis mandant, ad ævi secuturi transmittantur Notitiam. Sed ipsa tamen etiam scripta Heroibus aliisque perspectæ Magnitudinis Viris perpetuam tribuere nesciunt vitam, nisi illa, ubi forte sordido sepulta jacuere situ, officiosa recentium Eruditorum Diligentia serenæ restituantur luci, ac ita simul antiquiora acta in vitam revocentur æternum protrahendam. His ita se habentibus, dignissimi accenseri primæ Celsissimorum Germaniæ Procerum Classi, qui & scribi digna perpetrant, & digna Doctorum Manibus teri scripta à deformi vindicari squalore, hocque modo antiquis Rebus Germanicis nativum suum restitui decorem curant. Quin hoc præsertim tempore fas est GEORGII LUDOVICI ERNESTI que AUGUSTI amoris erga literas propensissimo universum Eruditorum Orbem votiva reddere Thura.

Arctissima amicitiarum jam succedunt foedera, quæ Principes Gvelphos, maxime vero Hanoveranos, potentissimos reddunt, utpote cum Principibus Domibusque Augustissimis pariter atque Potentissimis fortunatissime contracta. Sane enim Potentia Hanoveranorum non potest non incrementa capere excellentia, dum ipsos æquo æstimat iudicio reverenterque omnino colit non fucata exterorum Amicorum fides. In corda Amica jucundum profert imperium, qui ea tum candido amore, tum Veneratione non simulata addicta sibi tenet. Thesaurus Principum inæstimabilis, possidere Civium pectora: Verū huic non postponendæ gazæ, obstricta sibi habere adamantis

D 2

ami-

na præmissa. Et jam Operi Historico Serenissimæ Domus Brunsvico-Lynæburg. edendo incumbit.

amicitiæ Vinculis Corda Imperantium externorum;
Nam Vis Principum ita unita annon certissimo singu-
los teget Præsidio?

Adducenda hîc Sacra Hymenæa, quæ sanctis amici-
tiarum legibus Domum Gvelphicam potentissimis Fa-
miliis junxerunt. Illa non tantum bellis fatigatur hor-
ridis, sed & amabili vicisitudine, nubit; Austriæ more,
per innocuum aliis conjugiorum medium, ad invidiam
tamen aliorum, ditescens. (u) Imperatores Romani
ac Græci, Reges Angliæ, Scotiæ, Daniæ, Sveciæ, Polo-
niæ, Siciliæ ac Calabriæ, itemque Majorcæ, allegandi,
qui vel ex Gvelphica Domo petiere, vel Gvelphis dede-
re formosissimas thori socias. (x) Nostra ætate Chri-
stiani Borussii blanda perfundebantur lætitia, quamdiu
prima ipsorum Regina, eaque, ut uno me expediam,
Verbo, incomparabilis, SOPHIA CHARLOTTA,
quæ Hanoveranæ Stirpis erat, vitales ducebat auras.
Huic quidem, cum Patrios reviseret Penates, præma-
turæ mortis vis ad cœlestem Patriam jam aperuit vi-
am; ut tamen regale Borussorum folium etiam im-
posterum Hanoverana gloriari possit progenie, SO-
PHIÆ CHARLOTTÆ vices supplebit SOPHIA
DOROTHEA, similiter Hanoverana proles; quam
venustissimam & Corpore & Animo Principem Au-
gustus Diadematis Borussici Hæres, FRIDERICUS
WILHELMUS, fidam sibi delegit Conjugem, inten-
sissimoque prosequitur Amore. Sed & Brandenbur-
gica Princeps, WILHELMINA CAROLINA, quæ
Formæ Majestatis Venerem, Palladem ignei Spiritus
vivacitate, Junonem verecundiæ Pietate, longe supe-
rat, cum Serenissimo Electoratus Hanoverani Hærede,
GE-

(u) Vid. Meibom. *diçt. Comment. histor. de Affinitat. August. &c. S. quavis summis, initiali.*

(x) Id argumentum tractat laudatissima Henrici Meibomii *Commentatio Historica de Serenissima Domus Brunsvico-Lynaburg. Affinitatibus Augustis, in memoriam Augusti Conjugii JOSEPHI & WILHELMINÆ AMALIÆ edita.*

GEORGIO AUGUSTO, thori iniit foedus. Historia-
rum fert fama, placida unione Brandenburgicos & Gvel-
phicos Principes jam olim coaluisse; imo duæ hæ Domus
antehac non modo armorum contraxere societatem, sed
auspicatis quoque coivere conjugis. (y) Nunc omine
dexterrimo repetitaligamina concordem istorum Ma-
gnatum amicitiam unquam rumpi prohibebunt. Quid?
quod ipso Imperatorio Throno sedeat WILHELMINA
AMALIA, Princeps Hanoverano Sangvine fata, Augu-
stissimoque Imperatori JOSEPHO vinculo sociata con-
nubiali. Et ne impigri Antiquitatum Scrutatores ul-
terius ambigui disceptent, utrum etiam Castellæ Legi-
onisque Regnis Reginam quondam concesserit hæcce
Domus, (z) ecce, Serenissimus Gvelphorum Surculus,
ELISABETHA CHRISTIANA, Augustissimo CAROLO,
inter Hispaniarum Reges Tertio, desponsa Tanto parat ire Viro.

Deniq; capacia Terrarum Gvelphis parentium Spatia
jam edisserere superfedo, longumque nimis foret, pro-
lixiore repetere ordine, quæ Majores Gvelphorum, omni
canendi ævo, in Italia, Svevia, Ducatibusq; Bavariæ ac
Saxoniam, olim possederunt. (a) Nec me diffundam in de-
scribendis bonis Episcopatus Osnabrugensis, qui Gvel-
phis sub certis conditionum legibus cessit. (b) Hic solum
meminisse juvat Cognationum, hujus Domus Magnitu-
dinem maximopere promoventium. Consanguinita-

E tum,

(y) De Unione inter Ottonem IV. Imperatorem & Albertum Brandenburgensem, vid. *Imperatorum ex Ducum Brunsvicensium Domo oriundorum, Ducumque Brunsvicens. Diplomata vetusta, veteris Saxonie Historiam non parum illustrantia, num. 11. quæ Diplomata Maderus in diçt. Tract. de Vetustate, Sanctimoniam &c. Domus Brunsvicensis ac Lynaburgensis num. 4. exhibet. Add. Meibom. diçt. Comment. histor. de Affinit. August. &c. S. Otto hic (puer) connubium etiam secundum habuit cum Mathilde Brandenburg., Alberti Electoris Filia.*

(z) Vid. Meibom. *d. Comment. de Affinit. August. &c. S. Erant in Imperio, verbis: Filia vero ejus Beatrix.*

(a) Conf. Meibom. *diçt. Comment. histor. d. S. Quavis summis &c. initiali, add. supra de Henrico Magnanimo Henricoque Leone notata.*

(b) Per *Instrument. Pacis Osnabrug. Artic. 13.*

tum, inquam, rationes non provincias tantum aliquas, sed & extensa Regna Hanoveranis destinant Principibus. Nimirum cum **GEORGIUS WILHELMUS** acri Germaniæ luctu terris eximeretur, Regiminis, quod illi fuerat, molem statim subiit legitimus Hæres, **GEORGIUS LUDOVICUS**. Ad hæc Magna Magnæ Britanniæ Regina, **ANNA**, oriundam ex Hanoverana Domo Sapiientissimæ **SOPHILÆ** progeniem Regni successores sibi constituit; ipsa simul Natione Britannica sub Imperium ejusmodi Gentis trahi neutiquam renuente. Fallor? an præconio vulgato potius excipi meretur **ANNA**, quam ipse **Jacobus**? Henrico enim, qui longas Rosarum dissentientium lites exspectata composuerat pace, potior **ANNA**, tum Regna Angliæ Scotiæque, tum Familiam Regiam Britannicam cum Stirpe Electorali Hanoverana, firmis univit Pactionibus. Nec Coronæ Anglorum magis accommodati ulli vertices, quam Principum Hanoveranorum; nam veri Heroës erunt, ac invictos Libertatis Europæ Assertores Servatoresque Angelorum tutelarium ritu se exhibebunt, quos partu, utinam! crebro excludet dignissimus Angelus Anglis, **WILHELMINA CAROLINA**, jam beatior Mater **FRIDERICI LUDOVICI**, Herculis illius in cunis jacentis. Anglo-Saxones sub dulci Imperio illius Saxorum antiquorum Floris, Principum Hanoveranorum, florentissimum convenientissime sibi pollicentur Statum. Non alii Sceptra Anglorum, qui Virtute Leonina jam maxime præstant, titulo gerent meliore, quam feri Nepotes Henrici Leonis Mathildisque, quæ ipsa Regio Anglicano Stemmate fuerat procreata. (c) Plaude igitur, Germania, quod Electores nanciscaris, qui domi & foris maximi; quorum denique Domum necessitudine innectere propiore familiis suis, è re sua esse duxerunt pluri-

(c) Vid. Meibom. dict. Comment. histor. de Affinit. August. & c. §. sed jam, & §. ab hac Matilda.

morum Regnorum ipsiusque Imperii Romani Moderatores summi. Gemmeis Cingendi Coronis quare Electoralia non obtineant Ornamenta? Futuri Magnæ Britanniæ Reges cur non augeant numerum primorum inter Status Imperii Membrorum? Cur grata Germania gradu Cæsareæ Potestati proximo illos non dignaretur, quibus quæsitum jus jura dandi populo, qui strenuus auræ nostræ Libertatis extitit Vindex? Nescit omnino Equus Hanoveranus in solo Principum Imperii honore subsistere, sed illi, prærapidum simul cursum in Britanniam præcipitanti, ne unus quidem Germaniæ sufficit Orbis.

Ad supremum nunc perventum; sola enim votorum debita restant. Sed hic prorsus incertus stat Animus, utrum novum Electoralis Honoris Apicem Imperio Romano-Germanico, an Potentissimo Electori, præcipue gratulari par sit. Si enim aperte dicendum, quod res est, non tam huic, quam sibi, provida consulit Germania, quod Domum tantis Meritis tamque varia Potentiâ enitentem, imo Patriam pluribus Commodis impostorum valentem exhilarare, evehat, colat, magis sibi devinciat. Quia tamen una Germaniæ Electorisque Salus, pia pro hoc fusa vota ad illam quoque certissime pertingent. Ad Te igitur, Serenissime Potentissimeque Elector ac Domine, Domine **GEORGI LUDOVICE**, Domine Clementissime, mea dirigitur Oratio. Occupa, Magne Princeps, feliciter constanterque tene Locum inter Sacri Romani Imperii Electores, quem Patria, Tibi semper vehementissime amata, Meritis tuis assignat. Exoriaris Imperio Sidus primæ Magnitudinis, dum Magna Britannia Te, sibi orientem Solem, prima veluti Auroræ signa intuens, devoto Animorum respicit Cultu. Fruaris novi Honoris Splendore, vacuus obscuris finistræ fortunæ nubibus, postquam atra nubila, quæ Titulorum horum Lumini initio obstiterant, solvit dispersitq;

fato major JOSEPHI TUAQUE Prudentia. Vive!
 vige! flore! Amor Teutonum Britannorumque,
 nunc Elector, & quondam Rex, ultra Proavos magne,
 victoriose, Leo. Equus tuus plus ultra, quo Fas & Gloria
 ducunt, celeri feratur cursu! Non nisi immortalibus
 meritis gloriâque æternâ satur Lampada tradas FILIO
 NEPOTIQVE, patrium servantibus Vigorem. Gau-
 deas, qui, Cedrus procera, Sideribus jam inseris Caput,
 virore & fruge perenni. Introëas auspice Numinis
 Benignitate Senatuum Electorum Eminentissimum,
 nec futura tua Propago eum frequentare intermittat,
 nisi cum ipso Sacri Romani Imperii Terminò, eoque
 non alio, quam extremo Mundi Fine. DEUS TE
 SERVET! PERPETUO SERVET TIBI
 TUOQUE SANGUINI ALTISSIMUM
 ELECTORALE DECUS! FACIAT TE
 ELECTOREM, IMPOSTERUM ETIAM
 RECTA RECTE PERAGERE! SIT MA-
 NEATQVE RECENTIS TUI FASTIGII
 FASTIGIUM SUMMUM, IN RECTO
 D E C U S!

